DE POLYPO MALIGNO SPECIMEN QUOD AD SUMMOS IN MEDICINA...

Isaia Agosti



36

DE

POLYPO MALIGNO

SPECIMEN

QUOD AD SUMMOS IN MEDICINA

HONORES RITE OBTINENDOS IN CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICI JURIS FACIT

ISAIAS AGOSTI

VERONENSIS.



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.



AMICO ET COLLEGAE

DOCTORI EGREGIO

SALVATORI THOMEI

In tanto argumentorum numero quae adolescentes pro summis honoribus in medicina obtinendis sibi pertractanda suscipiunt, in tanta hujus Archigymnasii luce, coram Vobis, Praeceptores sapientissimi, quorum difficile dictu est utrum studiosi adolescentes virtutem et doctrinam magis venerentur, an animi magnitudinem diligant, quid ego proferre possem, cum exercendae medicinae facultatem ab humanitate vestra imploraverim, longo tempore anceps haesi. Verum postquam in Athenaeo Ticinensi a clarissimis Praeceptoribus in

chirurgica arte eruditus fui, decem et octo jam abhinc annis eam professus sum; ideoque non pensitandas mihi medicorum quorumdam sententias esse existimavi, neque eamdem crambem recoquere, sed inter morbos, quos pertractandos suscepi, unum in meam memoriam revocavi, qui summi Hippocratis effatum confirmat, optimam videlicet medicinam interdum esse medicinam non facere.

[redacted].



Membrana illa mucosa quae Schneideriana, olfactoria, vel pituitaria nuncupatur, quaeque totam induit narium cavitatem, carnosis quibusdam carunculis sive excrescentiis praeter naturam obnoxia est, quas Medici *Polypos* dicunt perinde ac si pluribus radicibus tanquam pedibus sint instructae. Si videlicet homo catarrho aut coryza frequenter fuerit adfectus, si ulcus quoddam nares occupaverit, si sanguis saepius ab eo organo stillaverit, dispositionem facillimam ad Polypi evolutionem ei inesse existimabimus. Quod si causis illis remotis violentia quaedam exterior accedat, ut lapsus aut ictus, actio pulveris sternutatorii, irritatio quaelibet membranae illius, quae mollis est et spongiosa, tum a vasorum laxitate nova fere vegetatio locum habet in aliquo ipsius membranae puncto, quae sensim sensimque majus volumen acquirit, et Polypum constituit. Magnitudo Polypi varia est uti et evolutionis periodus. Refert Heisterus clarissimus se Polypos vidisse, qui intra tres aut quatuor dies ita erant aucti, ut e naribus propenderent. Neque semper eam viam tenent: quandoque enim per nares posteriores in

faucium cavum descendunt, et adeo increscunt, ut non solum loquendi ac deglutiendi, sed spirandi quoque difficultatem inducant, quemadmodum Celsus observavit.

Non una tamen eademque est Polypi uniuscujusque natura atque indoles. Quandoque enim albus, subrubidus, mollis, nullis fere stipatus doloribus est, prope nasi orificia situs, tenui instructus radice, quique facile prolongari aut educi potest e nare: mitis tunc Polypus appellatur a chirurgis sive benignus, praesertim si aeger firmioris sit habitus, nullaque labe inquinatus. Gravis e contra seu malignus est Polypus, qui cum doloribus atque duritie livet, aut nigricat, pus et acrem foetidumque humorem emittit, altius locatur, crassiori adhaeret radice, et homo scorbutica vel venerea affectione laboraverit. Quemadmodum ergo in benigno Polypo levius periculum est in prompta curatione, difficilius autem curatur, aut ad carcinoma malignius facillime vergit, ita prudens et semper reservatum vaticinium heri quidem reor, dum praesertim pro certo habemus hujusmodi morbum fontem hausisse, aut primitus et eminenter ex viribus vitalibus perturbatis, aut morbosa jam adstante dispositione ex causis externis. Quapropter non solum vires vitales perdifficilius in hisce morbis restaurantur, sed etiam cura chirurgica, qua utimur, extirpatio nempe et ligatura, raro morbo opitulatur; immo plerumque pristinum inflammationis incendium alit aut majus reddit. Neque Polypus curari potest nisi a propria sede removeatur.

Non ignoro nonnullos fuisse, qui medicamentis rodentibus usi sunt, ut sensim sensimque caruncula carnosa consumeretur. Verum summo hic studio opus est, ne partes nasi quae sanae sunt, simul erodantur. Celeberrimus Parisiensis chirurgus Thibaut bina minuta splenia cerato imbuta Polypum inter et naris parietes sanos injiciebat, deinde penicillo val turunda antimonii butyro infarcta Polypum tangebat: statim aqua pura tumoris superficiem expurgabat, ne videlicet rodens actio medicamenti altius aut latius, quam par est, penetraret. Dicunt Thibautum momento temporis rem feliciter absolvisse. Dubito vero quam plurimum, an ad Polypi curationem rodens medicamentum semel tantum sit adhibendum, praesertim si Polypi moles magna sit, et crassiori instructa radice. Quod si pluries ad istiusmodi remedium confugiendum est, valde pertimescerem ne aliquando ab ipso remedio erosiones aliae et generalis inflammatio foret expectanda. Idem at de mercurii sublimati, de lapidis infernalis et caustici, de acidi sulphurici usu dicendum est, et eo magis quod experientia quotidiana nos edocet Polypum etiam benignum in malignum converti posse, si metamorphosis ultro progrediatur, et in texturam scirrhosam aut cancerosam abeat. Ecce nunc tibi quanta sit ab aegro non minus quam a chirurgo diligentia adhibenda, ne causae irritantes illum offendant, et inflammationem ultro propellant!

Si varia auctorum opera perlustrentur, quam plurimos extare videbimus, qui radicalem Polypi maligni curam adhortantur, inter quos recense-

758

mus Theden, Richter, Joannem Bell; at celeberrimi Pott et Scarpa, primus in suis operibus chirurgiae, alter in suis clinicae chirurgicae lectionibus a me pluries auditis omnino dissuadent, et fere temerariam operationem declarant, quippe quae gravioribus morbis ansam praebere valeat. Vir ille egregius, et de studiis meis optime meritus Professor Scarpa ita de hac re discipulos admonebat: « Duae Polyporum species habentur, » *benigna* vel *maligna*, in quibus recte distinguen- » dis studium praecipue nostrum vertere debe- » mus, eo quod Polypus benignus curam admittit, » malignus contra omni medelae renatit, quin im- » mo sub regimine chirurgico exasperatur: opor- » tet igitur peroptimam cognitionem de hisce te- » neri ne aeger summo detrimento, et chirurgus, » qui hanc curam subierit, summo dedecore o- » mnes conatus et labores irritos videant. »

Quibus sane consiliis fretus ita in teterrimi hujus morbi cura me gessi, ut si aeger unus ad senectam pervenit, Hippocratis effato suam debuerit vitam, quia nullam ipsi medelam adhibui; si fatis alter concessit, id imprudentiae chirurgi tribuendum censeo. Historias hic addam brevissime, ut summorum virorum doctrinam de maligno Polypo magis magisque confirmem.

Valentinus Bronzo octo et quadraginta annos natus, temperamento sthenico excitabili, gracilique corporis constitutione donatus, morbis inflammatoriis pectoris, catarrhis nec non impetiginibus indolis herpeticae saepissime laboravit, a quibus post longum temporis spatium natura tan-

tum adjuvante liberatus est. Sensim sensimque dolores in regione frontis et glabellae excitantur, quibus accessit sensus ardoris, et pruriginis per ambas narium cavitates vagans, et ex naribus quidquam sanguinis stillabat. Post annum apparet in naribus tumor coloris atro-purpurei, sub tactu dolens, emittensque facillime sanguinem. Aeger Baldi montis incola Veronam petit ut Antonium Manzoni consuleret, qui cum maximo ingenio abundaret, et insigni doctrina prudentiaque polleret, morbum statim Polypum malignum declarare non dubitavit, et adhortatus est aegrum ne auxilium ex chirurgia praestolaretur, quippe quae illi opitulari impar erat omnino; immo nunciavit ei tentamen omne mortem fore sollicitaturum. Polypum tamen palliativa methodo pertractandum esse affirmavit, emollientibus nempe externe adplicitis, interne vero temperantia remedia jussit esse suppeditanda. Quibus monitis edoctus aeger per sex annos patienter morbum tulit, quin graviori excruciaretur molestia; nisi quod in posterum naris altera novo Polypo occupata fuit, ex quo, ut facile videre est, respiratio per nares sublata erat, et inde per os apertum aerem hauriie cogebatur.

Cum res ita se haberet, a parentibus advocatus sum ea fortasse spe, ut in experientissimi chirurgi sententiam essem iniquus; symptomata vero omnia cum fuerim perscrutatus, aperte cognovi maligno Polypo aegrum laborare; orat ipse ut eum a cruciatu sublevem, sed perperam; si vitam diligis, dixi, a manu chirurgica abstine, et sequere

consilium clarissimi Manzoni. Tali pacto opinionem amplexus est, et decennium vixit. Morbus vero radices ampliores fixit, ita ut labium superius occuparet: tandem asthmatis accessionibus frequenter correptus ob peripneumoniam nothàm septuagesimo aetatis anno e vita discessit.

Ignatius Thomei Veronensis quatuor et quadraginta annos natus, firma corporis constitutione habituque athletico donatus, quatuor abhinc annis coryza diuturna laborabat, et eodem tempore per aliquot menses de dolore in frontis regione, nec non in angulo orbitae sinistro conquerebatur. Nonnullis etiam sanguinis effusionibus e naribus obnoxius fuit. Substantiam quamdam in sinistra nare pendentem sibi obortam animadvertit, et consilium meum parentes expostulant. Polypum video ampla basi innixum coloris violacei rubri, et characteres omnes Polypi maligni exhibentem, pronunciavi statim me caute et diligentissime usurum esse cum eo. Interim cum per aliquot dies nil aeger emolumenti persentiret, nulla ratione habita ad id quod ego aperte parentibus declaraveram, tentamina, me nesciente ipsis vero imperantibus, ab alio chirurgo ad Polypum avellendum facta fuere; sed dolores ita saeviunt, ita aegrum opprimunt, talis est haemorrhagia, talis symptomatum series prorumpit, ut a tentaminibus desistere omnino necesse fuerit, et morbus radices ampliores profundioresque fixit; ichor e naribus fluebat foetidissimi odoris, oculusque inflammatione corripiebatur. Aeger tamen omni adhuc spe non destitutus ad quamdam Italiae Universitatem se contulit do-

ctissimorum virorum fama perinsignem, qui in ea fuerunt sententia, ut extirpatio rursus esset suscipienda, inflammatio ope setacei promovenda, et substantia aliqua corrodens Polypo esset adplicanda. Verum, proh Dii immortales! morbus horribili modo exacerbatur; summopere exulceratur Polypus, et cum eo saccus lacrimalis, nec non proximiores partes; oculus naresque tument; foramen narium posterius appendicibus polyposis scatet; deglutitio ablata est; dolores regionem frontis occupantes intolerabiles fiunt, nec narcoticis amplius est data potestas aegri poenas leniendi. Nulla adest spes, nullum consilium, omnia mortem ostentant. Jam jam delirium cum alternanti sopore, summa virium dejectio, et macies corporis totius apparent. Pulsus sunt parvi, quandoque desiderantur, et optata extrema dies poenis finem imponit.

Summa igitur diligentia utendum est, maximumque ingenii acumen exercendum, ut Polyporum species accurate discernantur, ne citius, quam par sit, aeger occumbat. Quae autem medendi methodus, quae radicalis cura instituenda sit in Polypo maligno, hactenus nescimus; argumentum sane quod doctissimorum virorum considerationem, repetita experimenta, et sagacissimas disquisitiones mereretur.

THESES

I.

Inflammationis transitus a cursu acuto in lentum numquam inflammationis indolem mutat.

II.

Non dantur inflammationes asthenicae.

III.

Apoplexia a sanguine in cerebro congesto aut effuso semper producitur.

IV.

China China non est remedium specificum in febribus intermittentibus.